

## CAPUT XIX.

*De morbis veneris.*

Pag. 155. l. 19. *Humoris mucosi destillatio.* ]  
 Profluvium hoc indecorum ac debilitans diu durare, summasque medicorum ac chirurgorum artes viresque eludere ac contemnere notissima res est: & nil mirum, cum glandularum Cowperianarum, prostratarum, & vesicularum feminalium sphincteribus laevis aut erosio, humoribus inde effluxuris quaquaversum panduntur portae.

Hoc opprobrio autem non obstante, operae pretium semper erit; liquoris excreti indolem & naturam probe examinare; priusquam vel auctoris medicamentum efficacissimum dictum, vel remedia balsamica astringentia, quibusdam aliis scriptoribus adeo decantata, in usum vocanda sint; quippe post validissima cathartica, imo post longam salivae proritationem peractam; virus venereum in hoc profluvio adhuc latere, saepissime novi; cui, incongruis his artificiiis, nunc aliquo modo cohibito, & intro suscepto, pessima mala denuo excitandi, novasque tragoedias exhibendi, ampla & haud aequa data fuerat potestas.

Aliquid hujusmodi indolis huic fluxui adesse, suspicari semper fas erit, si quando humor, qui  
 ex

ex genitalibus destillaverit, nec pellucidus, nec recentis ovi albumen referens, sed e contrario flavescens, viridescens, saniosa, foetens, nunc dysuria, nunc membrorum partiumque contiguarum doloribus, nunc inflammationibus, rasionibus & exulcerationibus comitatus exierit. Hanc autem querelam gemitu commistam, indubio equidem jure, edat hujusmodi aegrotus, „Pol me occidistis amici, non servastis.” cui sic reservata lues, & demptus impurus per nociva pharmaca fluxus.

Pag. 155. l. 21. *Tam ex vesiculis seminalibus quam ex glandulis prostratis.*] Illud autem hoc loco animadvertere ex usu erit, quod hoc malum non solum partibus hisce sedem habeat, sed inquisitione rite institutâ compertum fuit, profluvium hocce urethrae aut vaginae glandulis, prope fraenum in illâ, aut collum in hâc, fitis & ulceratis, multo saepius, quam vulgaris fert opinio, deberi; ideoque cum res sic se habere pateat, quis non videat istam medendi rationem, quam medicis, chirurgisque adeo commendavit auctor, non solum sine ullo levâmine posse exhibendam, utpote huic proposito omnino imparem, quin quod pejus est, necesse esse, ut progressu temporis exinde consequantur effectus prorsus exitiales. Huic malo cum spe felici sanationis integrae occurrendum solummodo est medicamentis hydrargyri vires possidentibus, nunc balsamicis, nunc detergenti-

ti.

tibus, sociatis, & in urethram aut vaginam injiciendis; interdum & externe partis affectae ambitum iisdem fricare, quantum fieri queat, magnopere convenit. Dum haec fiunt, victu tenui, caeterisque remediis luis venereae sanationi specialiter inservientibus, simul sedulò perseverandum est.

[Pag. 156. l. 29. *Pustulae per corpus.*] Ulcera enim venerea sunt ut plurimum in initio superficialia, & in membranâ adiposâ tantum sita. Ablatâ quippe squamâ à tali pustulâ statim fundus se cinerei coloris visui offert, parum profundus, inaequalis, & fungosus mucum pinguem, subflavescentem aut subviridifcentem stillans.

